B. N. C.
FIRENZE
1033
18

1033.18

XXVII
PISTOR
1585

XIII .1

1033.18

SERMO PRO IMMACVLATA CONCEPTIONE DEIPARE SEMPERQ; VIRGINIS MARIÆ.

ÆDITVS

A Reu. P.F. Iacobo Piſtorienſi, Ord. Min. Reg. Obſeruantiæ, Prouintiæ Thuſciæ, ac Sacræ Theol. humili profeſſore.



1872

FLORENTIÆ, Apud Io. Antonium Caneum, & Socios 1605.
Superiorum permiſſu.

1033.18

ILLVST. ADMODVMQ. R. D.

VINCENTIO CELLESIO,

Cathedralis Eccleſiæ Piſtorij Canonico digniſs.ac noſtri Conuen. S. Franciſci de Obſeruantia Conſeruatori Apoſt.meritiſs.

F. Iacobus de Piſtorio Ord. Min. Ob. S. P. D.

EA iam inoleuit conſuetudo, uim legis ferè obtinens, vt qui aliquid permoliri ſatagunt, vt in lucem edant, illud ipſum alicui optimo viro, ac de ſe benemerito inſcribere ſtudeant: Hinc enim, & operis patronum nanciſci ſibi videntur, & propriam erga ipſum ſeruitutem omnibus manifeſtam faciunt. Quare cum in publicum ſermonem hunc de immaculata Conceptione Beatiſsime ſemperq; Virg. Mariæ coactus fuerim edere, ut Florianenſium deuotioni morem gererem. Qui cum ipſum pro ſabbato cinerum me ipſis concionante audierint, vt typis man-

darem incunctanter efflagitàrunt. Iccirco tibi vni dicare eundem decreui, tu namq; prè ceteris ille ipſe es litterarum præſtantia, morum elegantia, facultate, nobilitate, ſed quod præcipuum eſt, meritis in Franciſcanam familiam, (cuius meritiſſimus, es conſeruator Apoſtolicus), & offitijs in me ipſum adeo præſtas, vt quem tibi in his omnibus parem ſufficiam, haud facile alterum reperiam. Hilari igitur vultu, ſerenaq; fronte laborem hunc accipere digneris, cuius ſi affectum intuitus fueris, non indignum profectò exiſtimaueris, vt ſub tui nomine in publicum prodeat. Vale ac me in tuorum clientela conſtitutum non obliuiſcaris rogo, iterum vale ad Neſtoreos annos. Sanctæ Mariæ Gratiarum Emporij die 25. Maij. 1606.

ETSI multi non parum circa Verbi incarnati, atque vnici Dei Filii, Patri conſubſtantialis humanitatis, Natiuitatis, Crucis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis nauiculam laborarunt, quid mirum Vobis hodie, Florianenſes, erit ſi circa immaculatæ Virginis, Matris, Filiæ, ac Regis cęlorum ſponſæ tot ſapientes, necnon catholicos perſudaſſe Doctores, vt eam Sanctam, puram, & minimè in mare peccati demerſam ſuaderent? ò Nauis puriſsima immaculata Nauicula.

Labore profectò affecti fuere, viri deuoti, ob eam ſine peccato prædicandam, erantq; laborantes in remigando; humanatum venerantes verbum, cui Sathanas, & ſequaces ſe noluerunt obedientes præbere. Magi etiam laborantes in remigando natum Regem honoratum, adoratum, muneribusque pręcioſis donatum ab Oriente venerunt. Quid præterea de Nicodemo, quid de Ioſepho dicam? nonne in mortuum IESV CHRISTI Corpus, & forcibus ad refigendum, & ſcalis ad Crucem ſcandendum linteisq; ad illud inuoluendum laborarunt? Petrus inſuper, & Ioannes nonne ad quærendum pręceptorem, iam a mortuis ſuſcitatum, ad ſepulcrum cucurrerunt? Mariæ quoq; non ſecus pręcioſa æmerunt aromata, & mane ſurrexerunt, ut venientes vngerent Ieſum? Cum tandem ipſe cœlum ſcandens a diſcipulis diſceſsit, non ſolum fecit Angelos admirari dicentes. Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſaiæ c. 43. verum etiam, & Apoſtolos ſibi dicere audientes, viri Galilei quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Act. pr. Quo firmè cognito, pro huiuſmodi fide tuenda vitam ipſam cum morte commutarunt, erantq; laborantes in remigando, quando profecti vbiq; prædicauerunt Domino cooperante, ſermonemq; confirmante ſequentibus ſignis.

Si igitur diſcipuli, Marię, Petrus, & Ioannes, Ioſeph, Nichodemus, tres Magi Reges in Chriſti miſteriis laborarunt; ne me dicentem miremini Gregorium, Ambroſium, Auguſtinum, Hyeronimum, Anſelmum, Bernardum, aliosq; per multos circa Matrem Dei fuiſſe in remigando laborantes Doctores; necuè amplum nimis ſermonem faciam, iuxta illud heri mane pollicitum, omnibus. S. Sabbatis de vna V. Marię ſolemnitate tractare; primò autem de immaculata Conceptione (cuius eſt vobis altera in hac venerabili Plebe ſocietas, altera etiam in noſtra D. Franciſci Eccleſia, id tantum dicam, duos iſtos viros, Clariſsimum D. Thomam Aquinatem, necnon Ioannem Scotum ſubtiliſsimum, alterum ad Mariam veniali etiam peccato expertē, alterum (propter peccati defectum) ob ſpecialem gratiam

gratiam ab originali perſuadendam præſeruatam contendiſſe.

Angelicus Doctor, dicentium Virginem in actuale lapſam eſſe peccatum, audaciam coercere volens; multis rationibus contrarium comprobauit, vt eſt videre in 3.p. q. 27. & Claramontanum ſub 2. Vrbano celebratum Concilium aſſerit, Virginem Mariam nunquam actualiter deliquiſſe; Tridentinum quoque ſeſſ.6.can.23.ait. Peccata venialia non poſſe euitari, niſi ex priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia. Igitur de fide eſt credere V. Mariam nunquam peccaſſe; Iccircò ille ab Arimino Gregorius errauit, auſus dicere Virginem Mariam veniale peccatum commiſiſſe, vt Petrus Tatar. refert ſuper 3.ſent.Scoti diſt.3. Vt autem maiorem in Virginem demonſtraret affectum, & ſcripturę, & ſanctorum auctoritatibus ipſam ſanctificatam fuiſſe fidem facit.

Doctor autem ſubtilis fidem ſanctificationis (ex comuni ſententia) progreſſus, deuotione adductus, ipſam dicit ab originali etiam pręſeruatam; non tamen ſua opinione Matri obſiſtens Eccleſiæ, cuius filius fidelißimus fuit; neque etiam Doctoribus ſanctis, quos eſt cultu ſummo, & honore dignatus. Itaque dicere valemus, ſicuti D. Thomam non ſatis laudibus ornatum, contra Dei Matri detrahentes in remigando laboraſſe; non ſecus Aquilinum Doctorem propter in eam deuotionem fidelium augendam, vt ab originali præſeruatam probaret, non parum operis poſuiſſe, vt patet in 3. d. 3. q. pr. & d. 18. q. vn.

Verùm ordinatim procedendi gratia (nemini prejudicium afferentes) Rationes, ſcripturam, Patrum auctoritates, Reuelationes, Figuras, Similitudines, & Miracula videamus. O probationes, quas inquam probationes? magna miracula, ſimilitudines pręclaras, figuras illuſtres, reuelationes ſupremas, auctoritates graues, ſcripturas claras, ponderoſas rationes: ab hoc igitur incipientes, omnia ſigillatim diſcutiamus.

Naturæ ſapiens, philoſophorum Princeps 8. phiſ. & 7. Metaph. Inter extrema naceſſario reperiri medium arbitratur, vt inter album, & nigrum eſt medius color, inter frigus, & calorem tepor, inter ſanitatem, & egritudinem (ſecundum medicos, Valetudo. Itaque ſtudioſi, inter natos mulierum, nonnulli ſunt nati, & in peccato concepti: Si nati fueritis, Eccleſiaſticus inquit c. 41.) in maledictione naſcemini. Alii concepti, non autem nati. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. Pſ. 50. Oportet igitur dari medium, qui (ex viro tamen, & muliere ortus) neque conceptus, neque natus ſit in originali peccato.

Id

Id autem cui poteſt melius, quàm Marię perpetuò Virgini
conuenire? D. Hidelphonſum Toletanum Archiepiſcopum
rectè probantem audite. Nullis igitur poſtquam nata eſt, de-
lictis ſubiacuit, neque in vtero ſanctificata, originale peccatum
contraxit; Hoc autem tali a ſufficienti diuiſione ponderoſo po
teſt argumento probari.

Vel Maria non fuit præſeruationis capax, aut Deus nec potuit,
nec ſciuit, nec voluit pręſeruare; Fuit illa capax, cum etiam
Mater Dei potuerit eſſe; neque Deo dicendum eſt poteſtatem
non fuiſſe, dicente Luca c.p. Non erit impoſsibile apud Deum
omne verbum. Vos etiam I.C. dicitis, diſputare de potentia
Principis, crimen eſt ſacrilęgii C. de crim. ſacril. Præſeruare
etiam nouit, quia, Fons ſapientiæ eſt Verbum Dei, Eccl. c. p.
Si igitur Maria fuit capax, potuitq; & ſciuit eam Deus præſer-
uare, conſequitur voluiſſe huiuſmodi priuilegium ipſi irroga-
re: cum nullus Princeps ſuis legibus ſubdatur, imo poteſt di-
ſpenſare in lege data, vel aliquos excipere ab ea, non obſtan-
te obligatione parentum eorumdem, cum quibus diſpenſat:
Veluti Circumciſionis legem diſpenſandi facultatem habens
iudeis in deſerto diſpenſauit; Adulteros lapidandi legem di-
ſpenſare potens, adulteræ mulieri diſpenſauit; originale con-
trahendi diſpenſare valens Mariæ diſpenſauit, vt ait Petrus de
Palude in p. Enarr. de Conceptione Virg. Mariæ poteſt Domi-
nus legis circa legem diſpenſare, ſicut, & fecit B. Mariæ, quæ
fuit ſingulariter priuilegiata ſic, quòd ſine originali peccato
eſt concepta.

Quemadmodum autem (bonarum artium poſſeſſores, piè pręſer-
uatam credimus non ſecus eam dicimus redemptam, cum Ec-
cleſ. Sancta canentes Chriſte Redemptor omnium; quin etiam,
ſi dabitis hanc veniam) magis quàm alios fuiſſe redemptam
adiiciam, ſi verò de hoc vos certos exoptatis efficere, Bernar
dinum Buſtum in Mariali ſex redemptionis modos adducen-
tem legatis, quorum primi tres ſunt ab originali, mortali, ve-
nialiq; redemptio, cęteri ſunt præſeruatiua redemptio, a mor-
tali, vt in Apoſtolis poſt receptum in die Pentecoſtes Spiri-
tum Sanctum, a veniali, vt multi in Ioa. Baptiſta volunt cum
Eccl. dicentes Ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſes;
ab originali piè dicimus præſeruatiuè Mariam, & perfectius
eſſe redemptam cum Deus nullos hac ratione redemerit.

Nec vobis difficile videatur eam redemptionis vocem præſerua-
tionem ſignificare; nàm a D. Bernardo tollitur ambiguitas
Apo. verba.p. ad Cor. p. Qui factus eſt nobis iuſtitia ſanctifica-

tio, & redemptio, declarante. Nimirum, inquit, Angeli boni redempti ſunt per Ieſum Chriſtum redemptorem mundi, qui eos à lapſu præſeruauit. Hyeronimus quoque confirmat, Abraam redemptum de Vr Caldeorum, cum tamen non inciderit. Ambroſius Catarinus Ord. Prędicatorum Epiſcopus, vt eſt videre, tractatum habet, & de Mariæ Conceptione differens, talia verba refert. Maior fuit redemptio Mariæ, præſeruando eam ne laberetur in originale. Iam ergo redemptionis vocem in Angelis aliquando, & hominibus præſeruationis ſignificationem habere demonſtrauimus. At illi redempti pręſeruatiue ſunt, ergo, & Maria, quę teſte Hilario in quodam ſerm. Angelos ſuperat puritate, illam igitur, & præſeruatam, & ſuper omnes redemptam prędicamus.

Vos autem, Medici, nonne mihi conceditis duo eſſe medicamina, præſeruatiuum, ſ. & curatiuum, hoc poſt infirmitatem ſanare, illud ne labatur, impedire? Præſeruatiuum ad Imperatores Reges, & Duces curandos adhibetis, Curatiuum autem ad plebem poſt grauem adhibetis infirmitatem. Nemo autem ignorat, omnes ab Adam deſcendentes, vt genus vile, poſt peccati imbecillitatem ſanatos fuiſſe, Mariam uerò præcipuam Dominam muneribus, gratiis, & priuilegiis peculiaribus à Deo præſeruatiuè curatam.

Quod forſitan inuere D. Thomas voluit 3. p. q. 27. art. p. quando dixit. Rationabiliter creditur, quod ea, quæ genuit vnigenitum à patre plenum gratię, & Veritatis, præ omnibus aliis maiora priuilegia acceperit. Atqui Hyeremias, & Ioa. Baptiſta ſanctificationis priuilegium habuere, ſi igitur maius eſſe debet matri Virgini, nil aliud erit, quam præſeruatio: nam præterquam quod Mater fuit Dei; nequaquam etiam negabitis mihi maius priuilegium eſſe ab originali pręſeruari, quam ſanctificari ab ipſo. Virgini pręcęteris priuilegia largita fuere; ergo ſine macula originali concepta.

Quod autem amplius tale ſit priuilegium, Guillelmus Pepin Doctor Pariſienſis oſtendit in ſerm. de Natiu. B. Mariæ. Tria inquit, priuilegia ſingulariſſima Imperatoris Chriſti ſunt communicata Imperatrici Mariæ. Primo. n. in ſua Conceptione, & Natiuitate fuit præſeruata ab illa infectione originalis culpę, cui ſubiacent cęteri filii Adæ. & ſuper verſiculum 50. Pſalm. Maior inquit, miſericordia facta eſt Mariæ pręſeruando eam, quam Magdalenę iuſtificando eam a peccato. Petrus de Palude enarr. p. ſerm. Concep. erit Ipſa Vir-

go

go Maria ex ſpeciali priuilegio fuit præſeruata. Sanctus quoque Anſelmus lib. Cur dicitur homo. Indiguit V.M. Chriſti paſsione & morte, non propter peccatum, quod infuerit, ſed propter peccatum, quod infuiſſet, niſi eam Deus ſpeciali priuilegio præſeruaſſet.

Sed iam, Auditores non modicum in remigando laborauimus circa Nauiculam Conceptionis rationibus perſuadendo non demerſam; nunc igitur ad ſcripturam veniamus. Moiſes Cronicorum ſcriptor, poſt maledictionem ſerpenti illatam, deum addidiſſe refert. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum. Qui locus, & ſi multis interpræta ionibus abundet, Serapio tamen, Eucherius, Rubertus, multiq; alij volunt Mariæ potiſsimùm applicandum eſſe, vt ei, quę fuit diabolo inimica, cuius etiam ſemen eſt diabolo inimicum, illique tandem, quæ callidi ſerpentis caput contriuit, antequam pro omnibus lex generaliter promulgaretur, & culpa in Adæ poſteris profunderetur; ſi verò mihi non creditis, Valentiam ſuper pſalmos conſulite, & quod modo aſſero, ibi reperietis; Iudit quoque adimpletur figura, quę caput abſtulit Holoferni.

Animaduerte inſuper nonnullos pedes, aliquos corpus, alios faciem & quoſdam caput Lucifero percutere. Pedes feriunt, qui in vltima vita, vt bonus latro, conuertuntur. Corpus cædunt, qui mediam vitam improbé viuũt, deinde, vt Matthæus, ad pœnitentiam redeunt. Brachia, manuſque verberant, qui à pueritia, & in cunabulis, vt D. Thomas, bonos præſeferunt. Faciem percutit, qui in viſceribus matris, vt Ioa. Baptiſta, eſt ab originali ſanctificatus. Caput ferit Maria, per gratiam, à culpa præſeruata; Hinc Bernardus exponens illud, Ipſa conteret caput tuum. Cui, ait, hæc victoria præſeruata eſt niſi Mariæ? Qua de re merito dicere poterat. In hoc cognoui, quoniam voluiſti me, quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo ſemper. pſalm. 40. Quæ quidem verba de propheta, qui non fuit innocens, intelligi non poſſunt, neque de Chriſto, qui ſemper Deus fuit, cuius humanitas ante vnionem diuinitati factam, non fuit; ideo ſuſcipi non potuit propter innocentiam, quia non fuit antequam ſuſciperetur. In Maria verò verificantur, tali à Deo creata, & ob præuiſam paſſionem Dominicam præſeruata.

Idque Abacuc obſcuris verbis innuiſſe videtur. cap 3. Sol & Lu-

na ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum ibũt in ſplendore fulgurantis aſtę tuæ. Tabernaculum, in quo homo creatus eſt, innocentia fuit. Ego autem In innocentia mea ingreſſus ſum. pſalm. 25. Comuniſque fuit humani generis manſio, primi autem hominis defectu, ea fuit quilibet priuatus; ſed nihilominus Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo. Hic Sol, ea Luna extitit noſtra Aduocata, Pulcra vt Luna, Electa vt Sol, quò ad animam Sol, quò ad corpus, quod innocens permanſit, Luna. Ibunt in ſplendore fulgurantis aſtæ tuæ, iſte, ſcilicet Sol, hæc Luna, ob crucem Domini, talem meruit innocentiam. Ibunt in luce ſagittarum tuarum, hoc eſt, propter dolores, & Saluatoris tormenta, quæ iacula ſagittæq; fuere, omnium corda fidelium penetrantes; & huiuſmodi pœnis, & paſſionibus humanatum Verbum Matris præſeruationem, noſtramque commeruit liberationem.

Auribus quæſo percipite Niccolai Cuſani Cardinalis lib. 8. excit probationem, in illud. Sicut Lilium inter ſpinas. Cant. c. 2. Non inquit, indiguit V. Marię liberatore, qui ipſam abſolueret à ſententia in Adam, & poſteris eius lata, cui nunquàm ſubiacuit, quia præuenit miſericordia ſuccurrere electę Matri Miſericordię; nec indiguit liberatore à ſeruitute in qua nunquam Fuit. Præliberatorem enim Virgo habuit, cæteri liberatorem, & poſtliberatorem. Chriſtus ſic omnium laborator eſt, quòd & Virginis liberator, & præliberator; & concludit ipſe. Sola igitur Virgo glorioſiſſima non reperitur tempore vllo peccato originali ſubiacuiſſe. Noſtra quoque Eccleſia in huius ſolẽnitatis oratione cantat. Sicut ex morte Filii ſui prę-uiſa eam ab omni labe præſeruaſti. Quapropter colligitur paſſionem Chriſti Mariæ immunitatis cauſam extitiſſe.

Eſt etiam, Florianenſes, ſcriptura inſignis. Nondum erant abiſſi, & ego iam concepta eram, prouerb. c. 8. Verùm profectò eſt, Iuriſperiti, difficile admodum eſſe negatiuam cum affirmatiua indirecta probationem efficere. Attendite. In via hac fuit quidam occiſus, quamobrem ambulantes, & domorum incolę propinquorum in ſuſpicionem veniunt, & in quempiam culpa cadit. Si igitur voluerit aliquis ex homicidij ſeſe expertem oſtendere, planum facere oportebit, quando illud commiſſum fuit, eodem tempore longè abſuiſſe. Interfectus eſt cum ſuis deſcendentibus Adam, at Virgo puriſſima multo ante quam primus necaretur parens, diuinam ſe præueniſſe mẽtem, comprobauit vt patet, pſalm. 38. Et miſericordia eius

præuenit me; iure ergo Non dum erant abiſſi, & ego iam cõcepta eram, Præſeruata fuit antequam de peccato, à diuo Gregorio per abiſſum interpretato, in illud 41. pſal. Abiſſus abiſſum inuocat, mentio facta eſſet.

Non diſpliceret probationem, ſcripturam verò de Sapientia, nõ de Maria loqui, reſpondebitis; non diſputemus modo (virtute præditi) ſed ab Eccleſia in huiuſmodi ſolemnitate ſuperiorem legente ſententiam, ſcilicet, Nondum erant abiſsi, nos adducere permittamus. Dato autem, quód ea non accipiatur de Virgine, de ipſa ſaltem non abnegabitur intelligi. Ab initio, & ante ſecula creata ſum; quod de ſapientia iuxtà ſcolaſticos verificari non poteſt. Nihil eſt in Deo, quod non ſit Deus, id Talmudiſti aſſerunt, vt patet per Rabbi Hauados in petitione libri Galerazera dicentem. Non inuenitur aliquid, in Deo, quod non ſit Deus; dicendum eſt ergo Sapientiam Dei Deum eſſe; increatã igitur non creatam: ipſi itaque conuenire nequit Ab initio & ante ſecula creata ſum, ideo de Maria neceſſe eſt accipiatur.

Hoc autem fortè fortuna ſignificare Moyſes in capit. 2. Gen. voluit, quando dixit. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio in quo poſuit hominem quem formauerat. Huiuſmodi paradiſus à principio plantatus Maria eſt; antequam enim Deus conderet mundum, Mariam fore præuidit, ſicque fuit prima in diuina mente creatura; hinc ipſã dicebat. Ab initio & ante ſæcula creata ſum. Rectè igitur de hoc iucundo paradiſo ſcribit Moiſes Plantauerat autem &c Fuit enim ante alias creaturas in ſummi entis plantatus Idea, & clarè in hiſce ſcripturis apparet.

Neque inſuper alium allegorici huius Paradiei ſenſum reticere poſſum. Notate. Idem Rabbi Hauados, libro qui ſupra, ad ſextam petitionem reſpondens ſibi ab Antonino Romano Conſule factam, præter cætera, dicit; Sanctus, ac benedictus Deus ante mundi creationem peccaturum mundum, ſuaque præcepta traſgreſſurum præuidit, & ideo opus erat vniuerſum damnare, hinc dicebat. Mundum condere nolo; Verbum, vt crearetur, inſtabat. Videns autem Deus petram ab Iſraele ſine manibus abſcindendam eſſe, ex qua primaria Meſsias futurus erat in totum orbem ſuas miſericordias extenſurus; propter hanc petram s. Mariam, ſuumque filium Deum, vniuerſa procreauit. Hoc autem apud Hieremiam cap. 33. ex hebreo potuit textu legente. Niſi pactum

meum (ſuple oſtet) diem ac noctem, leges cœlo & terræ non poſuiſſem; Vbi editio noſtra vulgar s legit. Si irritum poſſit fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo. Hæc prædictus Rabbi.

Vt autem Hieremiæ verba intelligantur, aduertite; Hæc duo nomina Ieſum & Mariam Aritmetica, & numerali ratione ad numerum Berith, qui pactum ſignificat aſcendere Ieſus, & Maria apud Hebreos formalibus numeris 612. referunt. Ieſus tribus litteris conſtat, Ioth, Sin, Vau, Ioth 10. Sin 300. Vau 6. continet, qui numeri omnes 316. referunt. Maria quinque litteras habet, Vau, Mem, Res, Ioth, Mem. Vau 6. Mem. 40. Res 200. Ioth 10. Mem 40. complectitur. Si autem omnes numeri & Mariæ, & Ieſu ſimul copulentur ad numerum 612. peruenitunt.

Eumdem numerum Berith ſ. pactum habet. Berith quatuor componitur litteris, Beth, Ioth, Vau, Beth, 2. Res 200. Ioth, 10. Vau 400 habet, & ſi omnes coniungantur 612. referunt. Hinc conſtat Ieſum, & Mariam numerali ratione pactum ſignificare. His autem cognitis, ita Hieremiæ verba explicantur, Niſi pactum meum eſſet, ideſt, niſi propter Ieſum, & Mariam mundum minimè condidiſſem, ideo propter Ieſum, & Mariam vniuerſa procreauit Deus, itaque conſequitur ante omnia hunc in Dei mente Paradiſum extitiſſe. Hoc autem infert minutatim Moiſes. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, ideſt, ante omnes creaturas; vnde fortis, ſolidaque ratio extat, quod ſi plantatus ante mentionem peccati hic Paradiſus fuit, expers etiam ſit peccato, itaque iure Maria, Ab initio, inquit, & ante ſæcula creata ſum.

Et præterea aliud, quod ſuper hec verba. Ab initio, & ante ſæcula, dicatur. Quidam dominus erit, qui formoſam habeat neptem, eamque velit vel Galliam, vel Hiſpanias in matrimonium mittere; de omni re, qua indiget, locupletatam viæ illam committit, vt illuc perueuta, nulla re careat; cedulam dat commutabilem ducrum de decem iuliis argenteis millium florenorum, dum verò eſt in itinere. Fit lex à Rege, ne floreni pluris valeant, quam quinqne iulios. Accedit mulier, cedulam nummulario præſentat, eaque lecta, nummos comptitat, rationes conferens de iuliis quinque pro floreno; Domino illa reſpondet, quod debeſ, mihi non ſoluis; Flore-

nes

nos de iuliis decem, non de quinque debes. Numularius addit. Mutata lex eſt, quid mea refert? ipſa ſubiungit, Meæ cedulæ Datum aſpiciatur. Facta enim eſt prius, quam lex promulgaretur. Illa dicit: Rectè loqueris, cum verò monetam nobis non ſit mutandi poteſtas, pro duobus quatuor milla dabimus.

Quando Deus, cariſſimi, Adam formauit, iuſtitiam ſibi largitus eſt originalem, necnon ſuis poſteris dari ordinauit, & ab æterno Mariam ſui filii matrem, atque eam iuſtitia originali ditari conſtituit. Adam peccat, iuſtitiæ mutat ordinem Deus nummulario iubet, ne amplius ea ſoluat moneta, ſed vt omnes in peccatum originale labantur. Accedit virgo, & iuſtitia, vt ei conſueta ſoluatur moneta, decernit. Minimè, inquit ipſa, Datum aſpicite, legatur cædula ante peccatum facta, Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, idcirco ſatis, vt decet, mihi facite: illi igitur rationem inierunt; cum autem Adæ moneta iuſtitiæ, ſcilicet originalis obtineri non poſſet, per gratiam refertur, imo duplum, quod eſt gratia gratum faciens, & ideò ab originali labe efficitur immunis.

Nolo autem vobis alium Prouerb. cap. 8. locum citare. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret a principio; Vobis enim Deum Mariæ ſemper Dominum extitiſſe demoſtrarem; neque illam alii ſubiectam: hinc illa dicebat: Ecce ancilla Domini. Lucæ cap. 1. Sententia quidem (meo iudicio) quæ non niſi de ore Marię pręcedere poterat. Quis ſeruus vel ſubditus propriis culpis extra vrbem relegatus, quando introducitur, & in Domini gratiam redit, poteſt dicere, Domine domus tuæ ſeruus perpetuò fui? Nemo quidem, cum Principi proditor, inimicus, non autem obſequens fuerit. Atqui (Bone Deus) Regina noſtra fuit ſemper Dei famula, & ancilla, nec vmquam ab ipſo abfuit, ſuam ergo gratiam perpetuò habuiſſe conſequitur, & nunquam maculam vllam ſubiiſſe. Ideo Iudith cap. 13. Non permiſit Dominus me ancillam ſuam inquinari. Sapientia etiam cap. 7. inquit: Nihil coinquinatum in illam incurrit.

Gabriel angelus, cum ſalutauit Mariam, dixit, Aue gratia plena; quod non animę ſolum, nec præciſe corpori, at coniuncto toti dictum fuit; quapropter in vtroque Gratia plena. Quare D. Hieronimus ait. Et benè plena, quia cęteris pręſtatur per partes, Mariæ verò tota ſe infudit plenitudo gratię. Verè

plena

plena, in Maria, namque totius gratiæ, quę in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamquam aliter; nimirùm (inquam ego) ſpeciali priuilegio. Amplius, notate, Angeſum Mariam Virginem ſalutantem ad tempus ſe minimè coarctaſſe, nec etiam quando plena exiſteret, adiudicaſſe; verum abſolutè dixiſſe, Aue gratia plena, Dominus tecum; vt declararetur, quod neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. In actiua paſſiuaque Conceptione plenam gratiæ, & culpa originali expertem fuiſſe arbitramur.

Et ſi a Domino præſeruatam dicamus, nulla eam iniuria proſequamur, ſi in labem elapſam, deinde ſanctificatam aſſeremus. Silentium obſecro. Cum defectus alicui propria competit natura (quantum eſt de ſe) & ſi externa impediatur virtute, quo minus habeat, ipſi tamen tribuitur, ſic Virginem Sanctam, cum ex Ioachim & Anna nata eſſet, naturaliter originali ſubiacere oportebat; ſed, re ipſa, imunis facta eſt quo ad perſonam ob ſupremum Creatorem; cum tamen Adæ filia eſſet, ſecundum naturam contraxit, haud autem ſecundum perſonam. Hæc eſt Mayronis, Valentiæ, Paulique Veneti doctrina. Si quis adſit certius quid percipere de hac materia cupidus, perlegat Doctorem illuminatum in Conflatu lib. 3. ſent. qui loca per plura ſcripturę, quibus intentum probatur, deducit.

Verum cum ſatis circa ſcripturas in remigando laborarimus, Quid ſancti, quidue Theologi dicant, perquiramus; iis in primis ſuppoſitis, quæ Sancti Gregor. Ambroſ. Auguſt. Hieronymusque pluribus in locis dixere, nonnullos alios aſpiciamus.

Sanctus Baſilius ſerm. Annunc. citatus ab Antonio Cucaro in tractatu Concept. ait. Hæc eſt quæ in vtero matris abſque originali peccato, concepta fuit, & genita. S. Bernardus, ſuper Salue Regina, in illud, Turris Libani, ait Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignat innocétiam tuam. Innocens fuiſti ab originalibùs, & actualibus peccatis. S. Anſelmus pr. ad Cor. cap. 5. Omnes mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta Mátre Dei ſine originali, ſiue etiam voluntate additis S. Bonau. Doctor Seraphicus in ſpeculo Mariæ Virginis. Explanans Aue Maria, ait; Conſiderandum eſt, quod triplex eſt Ve, ſcilicet, culpæ, miſeriæ, & gehennæ, à quo immuniſſima fuit iſta, cui dictum eſt, Aue. Amplius, Sanctiſſima Virgo, propter omnimodam culpæ carcen-

rentiam, & immunitatem, propter omnimodam vitæ innocentiam, & puritatem, meritò ei in principio ſalutationis dicitur Aue. Inſuper. Quàm puriſsimá fuerit per culpæ carentiam, bene inſinuatur, cum dicitur, Aue; Recte namque ei dicitùr Aue, quæ ab omni ve culpę immuniſſima fuit, ſicut itaque Matrem Dei decuit.

Sanctus Dominicus Patriarca ord. Prædicatorum, in tractatu de Corpore Chriſti, a viris probatis ita citatus, ait. Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri; fundatus fortè in dicto Andreæ Apoſtoli ad Egeam Proconſulem, quoniam de immaculata terra factus fuerat primus homo, neceſſariò de immaculata Virgine natus eſt perfectus homo filius Dei, ut perditos homines redimeret.

Diuus Aquinates Thomas Doctor Angelicus p. ſent. diſt. 44. habet, Poteſt aliquod creatum reperiri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſine vlla contagione peccati; & talis fuit puritas Beatæ Mariæ, quæ ab originali, & actuali peccato immunis fuit. Idem, Super Aue Maria (quem tractatum nouiſſimis temporibus compoſuit, teſte Magiſtro Antonio Cuccaro, Ipſa enim puriſſima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Amplius, ſuper illud pſalmus 14. Qui ingreditur ſine macula, poſt ſermonem de mortali, venialique, quibus nunquam ſubiacuit, Nam, inquit, in Chriſto, & in Maria nulla omninò macula fuit. Hæc de ſanctis, & aliquantiſper elaboremus circa Theologos.

Illuſtriſſimus Thomas Card. Caietanus ſuper tertia pars Sancti Thomæ quæſt. 27. artic. 2. de Mariæ ſanctificatione poſt duas propoſitas poſitiones, an ante, vel poſt animationem ſanctificata fuerit, mediam affert poſitionem, nimirùm, quod in animatione ſanctificata fuerit, dicens. Aliud eſt diſcutere hanc materiam abſolutè, aliud corrolariè; & abſolutè, inter illas duas poſitiones, eſt media, quòd fuerit ſanctificata in inſtanti animationis; & D. Thomas non fecit de ea mentionem, quia tunc temporis non fuit iſta opinio. Et inferius ait. Stat ergò littera ſolida de illa opinione tunc inopinabili. Hæc ille. Si igitur in inſtanti animationis ſanctificata fuit, originale, ex gratia, non ſubiit.

Iacobus de Voragine ſerm. 6. Annunciat. declarans illud: Tota pulcra es. ait. Ipſa enim pulcra fuit, quia ſine originali peccato;

ſato; tota pulcra, quia ſine mortali, & macula non eſt in te, quia ſine ueniali.

Ioannes Lopez Epiſcopus Crotonenſis, ſerm. de Concept. Beatæ Mariæ; Tertio, congruentiſſimum fuit, ut Eccleſia diem Conceptionis Virginis celebret, in qua impeccabilis facta eſt per gratiam.

Petrus de Palude in ſecunda enarr. ſerm. Conceptionis. Impermixta fuit eius puritas, quia non habuit admixtionem originatis peccati, nec actualis, nec venialis, nec mortalis; non originalis, quia fuit ſpeciali priuilegio præſeruata.

Guillelmus Pepin. Serm. de Conceptione; Tantum hi duo (de Chriſto & Maria loquendo) concepti ſunt ſancti, & abſque labe originalis peccati. Idem ſuper illud pſalmus 50. & in peccatis concepit me mater mea. Omnis homo deſcendens ab Adam per carnalem generationem in actuali vnione animæ ad corpus contrahit peccatum originale; ſed ab hac generalitate excipitur beata V. Maria, quæ (etſi naturaliter ſit concepta, tamen diuinitus fuit ab originali præſeruata. Etiam lect. 49. pſalmus 50. Maius ſiquidem beneficium eſt præſeruare aliquem, ne in lutum cadat, quam iam lapſum releuare a luto; & ideo maior miſericordia facta eſt beatæ Virgini præſeruatæ, quàm Magdalenæ iuſtificatæ. Amplius lib. de Secretis ſecretorum & Aduentu Domini lib. de Imitatione ſanctorum ſerm. de Natiuitate Chriſti. ſerm. de Innocentibus. ſerm. de Purificatione Beatæ Mariæ; at non apponuntur dicta, ne tædium generent; perſpiciatis nihilominus, quia, vt dixi, reperietis.

Ioannes Viguerius lib. Inſtitutionum cap. 18. §. 5. Virgo non habuit peccatum originale (licèt proceſſerit ab Adam ſecundũ rationem ſeminalem. Amplius. Dicendum eſt, quòd ipſa ſola ſpeciali priuilegio preſeruata fuit, & præuenta, eo quòd fuit præuiſa eſſe Mater, & Domus Dei.

Vgo de Prato in ſerm. Zizaniæ; Sextus ager eſt Beata V. Mariam, in qua Deus ſeminauit Verbum ſuum cum plenitudine gratiarum, & virtutum. In hoc ergo agro Diabolus nunquam potuit ſeminare, neque actuale, neque originale.

Alexander Alenſis Doctor irrefragabilis, qui verbis Cant. 4. Tota pulcra es, explicationem tribuens ait. Maria Domina mea, tota pulcra es, & formoſa, & macula originalis peccati in te nunquam fuit. Et ſuper illud. Non dum erant abiſſi. Prouerb. cap. 8. inquit.

Anſh

Abiſsi.i. profunditas peccati originalis,& ego iam concepta eram.i.præſeruata in mente diuina ab originali macula. Et in Morali in ſex lib.diuiſo,in fine 6.lib.penult.cap.quicquid cō tradixerat, Mariam ſine originali conceptam ſtatuens, reuocauit.

Nicolaus Liranus exponens Lucæ c.p. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. Primus, inquit, Spiritus venerat ſuper Virginem, adhuc in vtero Matris exiſtentem, eam à peccato originali præſeruando.

Albertus de Cotignola in 7. lib. Cœlilo quii moralis cap. 14. B. V. Maria in conceptione fuit à peccato originali præſeruata.

Et c.28. Deus, qui ſpiritus eſt in generatione iſtius ſuæ domus ſ. Beatæ V. Mariæ fecit eam ſiccam, & mundam à peccato originali.

Laurentius Iuſtinianus, De Caſto connubio animæ, & Verbi; Hęc eſt, inquit, originalis pœna delicti, ex qua nemo, quamuis eximia polleat ſanctitate, liber exſtitit. Quotquot enim ex ipſa nati ſunt progenie, excepto Mediatore Dei & hominum, homine Chriſto Ieſu; & ipſius Matre, ſub hac lege peccati conditi ſunt.

Et ſi plures Theologos aſpicere velitis, conſulatis caniſium lib. de Deipara Virg. cap. 8. Franc. Suarez ſuper 3. p. S. Thomę q.27. Ioannem Gerſonem Cancellarium Pariſienſem in 2.p. ſerm. Doctorem iam incognitum, nùnc verò cognitum ſuper Pſalmos, qui omnes deuotionem veſtram augebunt, & ad augendam in dies magis, quid reuelatum ſit viris probis, exitq; explemētum prioris partis noſtri ſermonis, videamus.

Diuæ Brigidæ hæc reuelatio facta fuit. Veritas eſt, quod ego (dixit V. Maria) cōcepta fui ſine originali peccato lege lib. 6. Reuel. 5. Brig. cap. 49. & lib. 5. cap. 101. Magiſterq; Antonius de Cuccaro refert in Tract. de Concept. V. M. Diuam Brigidam reuelaſſe Reu. Patri Confeſſario ſuo, qui fuit Magiſter Matthias ord. Prędicatorum, Deiparam abſq; labe originali conceptum eſſe.

Diuus Bernardus poſt mortem ſuam cuidam Monaco, veriſſimum eſſe, quòd in Cęlis ſit ſolemnitas de Virginis Conceptione, reuelauit. Mariale Buſti, ſerm. 8.

Archiepiſcopo Toletano Gundiſaluo, nuncupato, ob ſpecialem in Virg. deuotionem, ipſius Capellano, reuelauit Maria; ſcias Gundiſalue me fuiſſe conceptam ſine originali macula; celebrabis ergo feſtum ad honorem meæ Conceptionis; ita Cuccarus, & Michael de Mediolano.

Clariſſimus Thomas Doctor Paradiſi Fantino Patauij Epiſcopo planum fecit, quod Filius Dei Matrem ſuam ab originali macula præſeruauit. Quàre in toto Epiſcopatu hanc ſolemnitatem celebrari ſanciuit. Id Mariale Buſti, editum Brixiæ 1580. ſerm. 7.

At nos etiam cum diſcipulis fuimus laborantes in remigando, tot reuelationes, tot Theologos, tot Sanctos, tot Scripturæ loca, totq; perſuaſiones adducendo: & ij, qui laborant, delaxantur; ideò cum ego in recenſendo, voſq; in audiendo defatigati ſitis, paululùm quietis capiamus; deinde ſimilitudines, figuras, & miracula perquiremus.

SECVNDA PARS.

QVANDO Deus miſit in mundum vniuerſale; ob ſcelera noſtra, diluuium, tunc Rupti ſunt fontes abyſsi magnæ. Gen. 6. 7. & cataractæ cęli apertæ ſunt, & facta pluuia ſuper terram. Et ideò montium cacumina cooperuit, vt omnia perierint animalia: ſed duo tamen diluuii acqua ne tangeret, euitauit, terreſtem. ſ. Paradiſum, vt ſtraboni placet, & Bedæ, atq; Noe Arcam, quę ferebatur ſuper aquas. Tunc, ò Florianēſes, rupti ſunt fontes abiſsi, quando Adam deliquit, & omnes homines culpæ aqua ſubmerſit, Paradiſo terreſtri excepto. i. Chriſto, ad quem ſecundum Pſalmiſtam Pſ. 90. Nō accedet ad te malum, nec habuit acceſſum naturaliter. Et Arca Noe. ſ. iſta priuilegiata Nauicula, quæ extat Dei altiſsimi Tabernaculum, de quo Propheta, Neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo; quod nunc in remigando laborantes miraculis, ſimilitudinibus, ac figuris probabimus.

Ezechiel c. 46. in ea porta, quem clauſam aperit, V. Mariam figurauit; quę etiam a ſuæ formationis principio clauſa ſemper erit. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, ait propheta. Vnde S. Maximus ſuper hunc locum, inquit. Hæc, quæ fuit Dei Thalamus admirabilis cæleſte templum, & tabernaculum gloriæ, cóndecenter, & congruè nulla macula originali contaminata fuit. Hoc autem facilè eſt pręſtare per ſimile. Sint duo currentes ad brauium; & cui velocior eſt equus, & prius ad metam peruenit, pręmium adipiſcitur; ita fuit de ipſa porta. ſ. anima Mariæ, antequàm corpus informaret; in eodem inſtanti, quo corpori infundenda erat, duo currebant æquites, culpa, & gratia, vt culpam præcucurrit gratia, & animam intrans, oſtium obturauit, ſicq; culpa ingredi non

præ-

præſūpſit. Ideo virgo ſine macula; hinc Damaſcenus in orat. de Natiu. V. M. Natura gratiam auertere non eſt auſa.

Iſaias quoque cap. 11. figurauit dicens Egredietur virga de radice Ieſſe, & ſi bene perpendes, duo in virga nodum. ſ. & corticem, reperies, & alterum actuale, & alterum originale ſignificare peccatum, quamobrem S. Ambroſius. ait Hęc eſt virga; in quā nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit. Virga. n. viridis, flexibilis; & recta eſt Regina cęlorum, teſte Riccardo de S. Victore. Dicite quæſo Philoſophi, Rectum quidnam eſt? Rectum eſt, cuius medium non diſtat ab extremis, reſpondebitis. Optima reſponſio. Huius autem virgæ S. Mariæ, alterum extremum ſuæ vitæ. ſ. terminus, fuit in gratia; medium verò pariter honeſtas, & conuerſatio caſta in gratia fuit; Ideo cum virga rectiſsima eſſet, neceſſe fuit alterum extremum. ſ. Conceptionem in gratia fuiſſe, & abſq; culpa.

Ioa. in Apocalipſi cap. 12. taliter figurauit, Mulier amicta ſole, quod ita ſit, patet. Mulier poſtquam lauit incoctilia, a feneſtra aquæ proicit munditium; ſi autem ex lutura illa homines tranſeuntes deturpentur, ſcandali, damniq; cauſa mulier extitit, cum Prouerb. cap. 17. ſcriptum ſit. Qui dimittit aquam cauſam eſt iurgiorum. At ſi per eandem viam quis tranſeat, Endromide coopertus, licet è feneſtra deiciatur a ſua ipſius indutus non maculatur interius. Aqua iſta. N. peccatum eſt originale ſuper omnes poſteros ab Adam proiectum, idq; Deus prouidens Marię Matrem ſolis. ſ. gratiam præſeruatiuum donauit; itaq; anima eius nequaquam fuit

Seraphicus inſuper Bon. in 3. d. 3. pp. art. p. q. 2. in Arca figurans Mariam, ait. Beata V. Maria ſignata fuit per arcam, anima verò eius ſignata fuit per Vrnam, in qua poſitum fuit Manna: cum ergo vrna illa, prius impleta fuerit Manna, quam poſita in Arca, prius ſaltem per naturam fuit ſanctificata anima B. Marię, quam carni vnita; Sed valde plures adducere figuras valerem, quas breuitati inſeruiens prętermitto; ſimiliaque aggredior.

Oliuæ, Eccl. c. 24. aſsimilatur Imperatrix Angelorum, quę in radice amara, & ſapida extat in fructu, ita de radice infecta parentum Virgo Regia deſcendit; ſed, ſpeciali munere dulcis in Conceptione fuit. Etiam, Myrrhæ electæ, quę & ea ſe, & ab aliis vermium reicit præter factionem, virtutibusque aliis eſt predita, vt eſt apud Dioſcoridem, & Plinium videre; ita fuit B. V. Nec etiam mendax ero, ſi eam Lauro ſimilem

dicam, quæ omni tempore viridis perſeuerat, vt Iſidorus, & Dioſcorides teſtatur. Hanc etiam ait Plinius, à ſagitta no percuti, terramq; vbi plantata fuerit, à fulgure præſeruari; Hinc eſt, quòd Cęſares in tempeſtatum temporibus (quod habet in Metam: Ouidius) ſe recipiebant ſub Lauros. Laurus viridis Maria V. cuius anima, neque in vita, neque in ortu, vel Conceptione à ſagitta percuſſa fuit; & beata terra, vel pomarium, vbi hæc arbor plantata fuerit; qualis es tu Floriana duabus ipſius ſocietatis ditate, beata quoque anima illa, quæ eſt in V. M. & in eius Concep. immaculata, deuota.

Sed cum iam Auditores, ferè ad portum Naiiculam deduxerimus, ad conſolationem illibatæ Conceptionis deuotorum, nonnulla miracula in medium afferramus; quandoquidem Chriſoſtomus ait. Quando Deus aliquem ad aliquod inſigne officium delegat, ſemper miraculum præcedit. homil. 14. ſuper Matt. Ipſi Noe diluuii, Abraæ victorię Regum, Moyſi prodigiorum miracula præceſſerunt. Sic inquam: Cum Maria ſuper omnes creaturas, vt Mater eſſet Dei, officium ad maximum electa eſſet, puriſsimę Conceptionis præire miraculum opus erat. Verum ſi multa cupias videre, ſanctorum Legendarium, Librum Miraculorum Virg. Bernardinum Buſtum in Mariali, & Pelbertum in ſtellario Virg. legito, quibus locis aperta exiſtunt miracula.

Quidam mancus Sacerdos poſt celebratam Conceptionis Miſſam ſanatum ſe nouit. Attendite quæſo mulieres, illam etiam præbere perturientibus auxilium. Oroſius ad Heliodorum ait. Coram Deo noui, & in veritate comperi, quòd nulla mulier periclitatur in partu, ſuper quam deuotè Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis eius celebratur.

Inſuper, notate miraculum; quod in Archiepiſcopatu Toloſæ accidit. Sanctus Dominicus Ordinis Prædicatorum Fundator cum hæreticis tria aſſerentibus diſputauit. ſ. Chriſtus nõ eſt Deus; In ſacramento Euchariſtiæ non eſt verè, ac realiter Corpus Chriſti, Maria non fuit Dei Mater, quia originale peccatũ contraxit. Poſt lõgam cum Dominico diſputationẽ, omnes in hoc conuenere, vt quilibet tres ſuas ſcriberet quæſtiones, & in ignem abiicere ille vero quę haud comburerentur, veræ cenſerentur.

S. Dominicus tres iſtas ſcripſit veritates. Chriſtus eſt Deus. In Sacramento realiter adeſt Corpus Chriſti. Maria Virgo expers eſt originali peccato: deinde proiecit in flammas, quæ per tres dies ab igne remanſere intactæ. Quo viſo, hæretici fidem habuere.

Hoc tamen pôt nõnnihil difficultatis afferre, cur ipſa, ſi caruit originali labe, pœnam illius. ſ. mortem ſubiit? Reſp. Nedum a peccato, ſed etiam á naturali cauſa habuiſſe mortem originem; de hoc cõſule Philoſophum p. de gen. 4. & ſ. Phiſicorũ. Auguſtinus etiam de Chriſto loquens ait. Si Chriſtus non fuiſſet occiſus, mortuus tamen eſſet, & defeciſſet ſenio. Lege Scotum in 3. d. 16. Pœna ergo aliquando inſegitur ad patientiæ exemplum, vt in Tobia, ad Dei gloriam, vt in cœco nato, & ad meritum, vt in Iob. Ita mors in V. Maria ád augmentum meriti aditum habuit, vt patet ex Scoto in 3. d. 3. vbi ait. Poteſt mediator reconciliare ſibi aliquem, vt auferantur ab eo pœnæ inutiles; & relinquatur in pœnis ſibi vtilibus; & ego addo. Culpa originalis nullam affert Dominæ noſtræ vtilitatem; ideo non permiſit eam Deus inquinari; vt autem propter ſpeciales pęnas præmium maius acquirere valeret, ideo V t in eius Mater adeſſent, ſibi complacuit, V t ad propoſitum de morte daret.

Ne verò Scoticam chimeram arbitremini, Audite Iacobum de Vorag. Ord. Præd. de plantu Virginis. Si quis bene conſideret, ait vir ille, inueniet, quod qui acceptior fuit, & ſanctior, ille magis eſt afflictus in mundo, non quidem ad purgationem peccatorum, cum nullum habuerit Virgo, quæ immunis fuit áb omni peccato, ſed ad maius meritum, & pręmium conſequendum. Hæreticorum etiam Malleus lib. 13. de Ciuit. Dei. Quod enim præcioſius, quam mors, per quam fit, vt omnia delicta deleantur, & merita cumulatius augeautur; dicentes Eccl. Pſal. 115. Præcioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius?

Mortua eſt etiam, vt capiti conformis exiſteret; ita ſentiunt Legiſtę. Omnia membra ſequuntur naturam ſui capitis, vt habetur lib. eũ in diuerſis, ſi rectè memini. Obiit quoq; cauſa fidei articulũ adimplendi. Carnis reſurrectionem. Emiſit Spiritum, Dominicus, ait, Bollanus Doctor inſignis, quia iuſtitiam in ipſa, & miſericordiam oſtendere Deus volebat iuxta illud Pſal. 84. Miſericordia, & veritas obuiau. ſibi iuſt. & pax oſcul. ſunt. Miſericordia vſus eſt, quantum ipſa capere poterat, pręueniens eam, & animam ſuam, iuſtitia originali, compari gratia, implens. Iuſtitiam verò adhibuit, cum ipſa a primis duceret parentibus originem; & licet priuilegio munita eſſet, à morte tamen noluit immunem efficere.

De primo ergo ad vltimum concludamus, quòd Nauicula iſta V. ſemper immaculata per gratiam non fuit demerſa, nec in mare culpæ originalis periclitauit, vt Perſuaſionibus, Scripturis, Auctoritatibus, Reuelationibus, Figuris, Similitudinibus, & Miraculis laborantes in remigando oſtendimus. In hoc autem (ſicut cęteris in rebus) Sanctæ ſubmitto Eccleſiæ, cui niſi repugnet, V. Mariam ſemper immaculatam, & ab originali præſeruatam aſſero.

Modò Eccleſiæ Græca, refert Galatinus lib. 7. c. 4. Feſtum celebrat Concep. V. M. etiam Latina quingentis ab hinc annis, eam, vt ex Bernardi Epiſtolis colligitur, ſolemnizat; ex Anſelmi etiam colligitur Epiſtola. Non puto verum eſſe amatorem Virginis, qui hoc feſtum non celebrat. Ab Eccleſia tandem Cattholica 200. ab hinc annis celebratur, & ad eius honorem religio Concep. V. Mariæ fuit inſtituta, & à Iulio II. Sum. Pont. comprobata, Indulgentiisque permultis referta.

Sanctus etiam Aquin. Thomas. 22. q. 10. art. 12. Maximam auctoritatem habet Eccleſia, quę ſemper in omnibus eſt ęmulanda. Rurſus, ibidem Magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm auctoritati Auguſtini, vel Hyeronimi, vel cuiuſcunq; Doctoris, quia & ipſa doctrina catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet. Et Quolib. 2. art. 7. Magis debet attendi conſuetudo Eccleſiæ, quam auctotitas Auguſtini, & quorumcumque ſanctorum.

Cattholica Eccleſia Romana, inquit, non eſſe ſuę intentionis, cum de peccato originali agitur, in hoc decreto comprehendere Immacul. ſemper V. Mariam, vt videre eſt in Tridentino Concilio; & in officio talis feſtiuitatis, ait, Conceptio eſt hod. S. M. V. Concep. Virg. Marię celebremus, Conceptionem hodiernam perpetuæ Virg. Genitricis Dei Mariæ, ſolemniter celebremus, celebrantibusque Miſſam de Conceptione Plenariam Indulgentiam Summi Pontifices concedunt, aliaque permulta Priuilegia, quæ quidem de pia eius intentione argumenta eſſe poſſent.

Cum itaque non repugnet, vt licitum fuit, circa ipſam Nauiculam in remigando laboraui, quam, vt audiſtis, ob gratiam ſeptem modis abſque macula perſuaſi. Reſtat nunc, vt eam ante oculos habeatis, veſtriſque in erumnis, & aduerſitatibus ad Aduocatam proclametis.

Sintque V obis in exemplum Sabinæ mulieres, quę inter Sabinos, Romanoſq; filios amplexę mediæ fuere, patres ſuos, ne

ſanguinem

ſanguinem effunderent depræcantes, & dicebanr. Si Quirites, ò Sabini, occiditis, Verè veſtrarum filiarum viros, veſtrorumque nepotum interficitis patres. Romanos etiam huiuſmodi oratione rogauerunt; quæ tantum valuit, vt populus vterq; viciſsim reconciliatus fuerit. Si tamen excipias, quod voluit quilibet propria inſignia retinere. Romanis erat in ceruleo campo Aquila; Sabinis autem quatuor litteræ S.P.Q.R. Quapropter Romanus quidam ſapiens in Senatu dixit, Ne inter nos, ò Romani, nullum ſit diſcrimen; ſi aliquid per quatuor litteras Sabini volunt inferre, aliud Romani iiſdem ſignificabunt. Sabinis Populis, Quis, Reſiſtet? Romani reſpondebunt. Senatus, Populus, Que, Romanus.

Quæ quidem omnia Deo, & hominibus applicari poſſunt; nam ipſi peccatis multis cum Deo pugnare non deſinunt) ille vt iuſtus eos caſtigationibus afficit. Quare peccatorum Aduocata pueru Ieſum amplexa, inter nos Deumq; manens, nobis dicit. Ne quæſo, oſtinationibus hereatis, ab erroribus longè ſitis, contra Redemptorem veſtrum ne certetis. Tu verò, Deus meus, depone iram tuam, quia ſi hominibus vitam cuiferas, progenitores meos, tuiq; filii interficis conſanguineos. Non amplius mors, Pater æterne, ſed venia, ſed remiſsio. Et tantum vim Matris pietatis oratio habuit, vt Deus vltionum inetem reddiderit: Siq; ipſe quatuor, litteris Sanctus Potens Qui Regnat, ſignificat; Mariam iiſdem, pro nobis intercedendo inferet. Salua Populum Quem Redemiſti: Quod mihi vobiſque præſtet qui viuit, & reguat in ſecula ſæculorum. Amen.

FINIS.

Sermonem hunc de imaculata Conceptione Virg. Mariæ imprimendi facultatem concedimus accedente conſenſu Adm. R. P. Inquiſitoris. Die 9. Iunij 1606.

Coſmus Antellenſis Vic. Gen. Floren.

Frater Lelius Placent. Inquiſit.

89 856721 Z 1033.18

1033.18

Angelo Pandimiglio
restauratore
625650 8274800